


Animosque ad consilium tuom studere flectere
Et civis in me et in senatum immittere.
Admirans haerebam, rectene audirem haec omnia.
VA. Tune haesisti? Mihi iam crede, vera sunt,
Quae Marcellus dixit; nam ille semper verum loquitur.
ME. Animus hercle mihi primum atra bili extumuit,
Quod tu, meus amicus, quem colo pol maxume,
Quemque in senatu primum semper adloquor,
Tuom amicum deformaveris tam turpiter.
VA. Partim meus amicus ante oculos vorsabatur mihi
Et partim vita civis. — ME. Maeste agitabam in animo:
Amicus me meus sinistre novit optumus.
In quo iam spem ponere debeam? Ei me semper aperui;
Ubi tamen animus satis sedatus erat meus,
Ita me consolatus sum: quom noveris Valerium,
Tamen exarsit iracundia? Nam illest homo probus,
Qui illud, quod ipse iustum esse censeat,
Conatur suom facere fervore, ardore maxumo.
Sed si fervor deferuerit reputandique tempus sumpserit,
Statim suom cognoscit vitium nec quietem dat sibi,
Dum amicum amplexus culpae vel minumae paeniteat maxume.
Vide, Valeri, vixdum rem sic mecum reputaveram,
Actutum in pectore meo resedit indignatio.
VA. Ne tu edepol es optumus; at ne sis tam bonus.
ME. Hoc te, Valeri, prius de te ostendas velim.
VA. Dic dum mihi, uter nostrum verum putet?
ME. Tute tibi dices istuc, si mens resederit.
VA. Commoti me tu maxume; iam pol quievero.
Secunda fortuna ac fausta, consul, utere.
ME. Vale. — VA. Et quom iam res istaec finem cepert,
Amicine, Metelle, russum, ut fuimus, erimus?
ME. Quasi vero nunc non simus. — VA. Non, nam ego te male
Tractavi iamque mussitandum mihi, qui sarciam iniuriam.
Tantis per temporis hanc non visam tuam domum,
Nam pol tuom conspectum ferre non queo.
ME. Valeri! — VA. Tunc a te spero me redamarier.
ME. Quisnam te non amet, vir optume et magnificentissime?

SCENA VI

APPIUS, METELLUS.

AP. Uti video, iam sero venio. — ME. Nescio, cur ita.
AP. Nam si tuarum vacuas feceris aedis aurium
Isti dormitatori, tum iam lapidem verbero.

(Ad proximum numerum)



Pauca exemplaria reperta sunt

IOANNIS B. FRANCESIA actionis dramaticae, versis senariis conscriptae,
cui titulus:

EUPLIUS

Venit libell. italic. 2; quibus addenda erunt libell. 0,50 in Italia;
libell. 1 apud exteris nationes, pro transmissionis expensis.

Praeterea

Apud Commentarii Administratorem venumdantur JOSEPHI FORNARI
Milesiae fabulae latine scriptae scenisque accommodatae apud
ephebea facile agendis:

FRIDIANUS-FRANCISCULI PRANDIUM

Singulae pretio italic. libell. 2.

(*Iis vero qui extra Urbem hos libros mitti iubeant, addendum erit publici
cursus pretium, iuxta normam libell. 0,60 pro singulis exemplaribus.*)

Pro lectoribus novisque sociis, qui **integralm ALMAE ROMAE
collectionem** habere cupiant ab anno MCMXIV ad expletum annum
MCMXXXVII, paucorum exemplarium quae supersunt pretium consti-
tuimus libellarum 600 pro Italia; pretium duplicatum, libell. italic.
scilicet 1200, pro exteris gentibus.

Hae vero collectiones, adiecta in litteris pecunia per nummariam
syngrapham in Urbe exigendam, *recto tramite* requirendae sunt ab
ALMAE ROMAE administratore (*Roma, 12, Via del Governo Vecchio, 96*): quod enim pretium positum est, non sinit ut foenus aliquod
bibliopolis, vel mediatoribus quibusvis rependi possit.

Ann. XXV

Romae, mense Ianuario MCMXXXVIII

Fasc. I

ALMA ROMA

LATINITATIS PRAECONIUM SINGULIS MENSIBUS EDITUM

Pretium subnotationis an. MCMXXXVI est pro Italia libell. 15; pro ceteris nationibus summa italicas
lib. 30 exaequans; ante solvendum rectoque tramite mittendum sive ad JOSEPHUM FORNARI doctorem
Romam, Via del Governo Vecchio, 96 sive ad Typographiam Polyglottam Vaticanam, Città del Vaticano.

“ALMA ROMA” IN ANNUM MCMXXXVIII

Cum anno, quem hodie inimus, quarta saeculi pars explebitur,
ex quo ALMAE huius ROMAE vox primum insonuit et ad orbem uni-
versum diffusa est; neque incassum, si iter ex illo tempore ad hunc
diem peractum mentis oculis repetamus. Eo enim tandem devenimus,
ut necessitas restituendi Latinae linguae usus non solum intime sen-
tiant docti undique homines, sed universe palam praedicetur. En in
coetibus, quos internationales vocant, latinae redeunt orationes; en
hinc nationes, ut Helvetica, quae latinam linguam inter publicas ad-
mittunt, inde, ut Finlandica, quae latinum suae gentis studium con-
stitutum in Urbe volunt; en novi scientiae commentarii latine, nisi
omnino, magna saltem ex parte exarati; en denique cura, non apud
Italos modo, sed apud Germanos praesertim et Hungaros, nova lexica
conficiendi ad novas res latine exprimendas accommodata. Fuerunt
haec omnia animi et operis nostri summa multorum annorum desi-
deria, quae magno cum gudio tandem expleri videmus; quamquam
perfecta tum solum affirmare licuerit, quum coetus, et ipse a nobis
iamdiu invocatus, doctorum virorum fuerit institutus, munere praefi-
nito, proposita novis verbis nova verba ad trutinam vocandi, eaque
eligendi atque statuendi, quae apta magis et consentanea videantur.

Eiusdem collegii nos et recens auctores fuimus apud « Studiorum Romanorum Institutum », quod indicem pro singulis disciplinis latinarum vocum comparat; cui quidem et aliud opus proposuimus, ut scilicet ipsis latinis vocibus singulis interpretatio iuxta praecipuos in Europa cotidianos sermones addatur. Ita enim unitas illa elocutionis fiet, sine qua tot laudabilibus conatibus frui omnibus non licebit.

Ex parte nostra forti animo atque erecto et anno MCMXXXVIII in iamdiu suscepta via indesinenter procedemus; rationis omnibus intendentes, iam pluries declaratis,¹ quae eam sternere valeant et ad finem facilius perducere, atque nobiscum convocantes quotquot nostri manipuli comites esse malint, quorum scriptis huius commentarii paginas libentissime aperimus tum ad specimina mentis suae proferenda, tum ad quaestiones pertractandas, quae ad latitatem restituendam proprius quovis modo attingant.

Non unos tamen hos laboris nostri socios invitamus; sed alios quoque, eosque multos, qui veteranis militibus sese in lectorum agmine adiungentes, subnotatione sua viribus nostris necessarium afferant incrementum.

Cuius quidem subnotationis pretium, licet omnium rerum pretium in dies ubique augescat, in annum MCMXXXVIII immutatum reliquimus, nempe in Italia libellarum 15; pro ceteris universi orbis nationibus summa, quae Italicas lib. 30 exaequet.

Communi vero huic subnotationi additur altera, quam *adiutricem* appellare consuevimus, duplicato utriusque subnotationis pretio. Inter *Patronos* autem Commentarii adscribentur, qui summam Italicas lib. 100 exaequante miserint, vel socios quinque novos adduxerint.

Praeterea qui integrum ALMAE ROMAE commentarii collectionem, ab anno scilicet MCMXIV ad an. MCMXXXVII inclusive, sibi cupiant, mittant lib. 600, si in Italia; pretium duplicatum, libell. nempe 1200, si apud exterias gentes.

Pecunia autem omnis sive pro consociatione, sive pro fasciculorum collectione solvenda est sive apud doctorem IOSEPHUM FORNARI, « ALMAE ROMAE » Moderatorem, Romae, « via del Governo Vecchio, 96 »;

¹ Cfr. ex. gr. fasc. I sup. anni MCMXXXVII, pag. 1 sqq.

sive — idque fortasse exteris sociis expeditius hodie fiet — ad « Typographiam Polyglottam Vaticanam », Città del Vaticano.

Denique has de subnotatione leges in mentem sibi quisque revocet:

1) *Consociatio sub anni exitum non retractata pro redintegrata habetur.*

2) *Qui ALMAE ROMAE specimina habuit, neque post fasciculos tres acceptos reddidit — (quod nullo impendio facere poterat; quae enim a publico cursu tradita recusantur, gratuito ea mittenti restituantur) — tamquam socius vali e reputabitur, ideoque ad solvendum annuae consociationis pretium tenebitur.*

ALMA ROMA.

Prisca Arabum historia

Dum Palaestini horum dierum eventus Arabicae gentis fata sub oculis iterum ponunt, absorum non esse putavi Arabum priscam historiam brevi repetere. Quam quum ad rem accederem, quartus mihi succurrit Esdrae liber haec decimotertio sub numero habentem, et inde ingruentia in orbem terrarum damna et calamitates non obscure indicantem: « Ecce — ait Esdra Sacerdos — ecce visio horribilis, et facies eius ab Oriente. Et exient (exibunt) nationes draconum Arabum in curribus multis, et, sicut flatus, eorum numerus feretur super terram, ut iam timeant et trepident omnes, qui illos audient. Carmonii¹ insanientes in ira, et exient ut aperte sylva, et advenient in virtute magna, et constabunt in pugnam, et vastabunt portionem terrae Assyriorum. Et post haec

¹ An, vel non longius abludente voce, Carmonii nuncupati sunt, qui apud plerosque Carsmonii, Carismanii appellati fuere? Quos quidem a regione Turkestan profectos Europa Turcas dicere maluit, quam Carmonios, aut Carsmonios, aut Carismanios nominare.

supervalescent dracones, nativitatis suaem memores, et convertent se conspirantes in virtute magna ad persecundos eos. Isti turbabuntur, et silebunt in virtute illorum, et convertent pedes suos in fugam... Ecce nubes ab oriente et septentrione usque ad meridianum, et facies earum horrida valde, plena irae et procellae... Et exaltabuntur nubes magnae et validae, plena irae et procellae, et sidus, ut exterreat omnem terram, et inhabitantes eam, et infundent super omnem locum altum et eminentem sidus terribile, ignem, et grandinem, et romphaeas volantes, et aquas multas...»; idest novos populos novasque gentes iuxta allegoriam Prophetis in usu: « Aquae, quas vidisti... populi sunt, et gentes, et linguae ».²

Iamque, ista legens, erumpentes inde recordabar Saracenorum catervas, Mahometis legibus, hortationibus actas, et Asiam, Africam, Europamque, praeter Galliam, Italianam, Germaniam, Poloniam et ulteriora borealium regionum, saeculo vix uno, post Christum a septimo, subiicientes, incen-

² Apocal., c. XVII, v. 15. Cfr. DANIEL., c. VII.

diis, caede, internecione desolantes. Perspiciebam Turcas Ismaelitarum horum, Saracenorum, Agarenorum occupantes imperium ferocius, atrociusque furiante; quinimo et ipsum ferme videbam belli novum genus, abdicatis arcubus, telis et gladiis, conversumque in arma, quae postea inventa sunt, effudentia desuper omnem locum altum et eminentem pilas ferreas refertas pyrogranis, unde sidus illud igne, et grandine plumbea et ferrea, et romphaeis volantibus, nempe lammis intortis *la mitraille*, terribile. Considerabam haec, et mirabar; et mens mea vehebatur in antiqua illa gentium Ismaelitarum, quum res Arabum coepit institui.

Quandonam? Historiam simul et prophetiam recitabone, quam Agar fugienti domum Abrahami Angelus recitavit: « Multiplicans multiplicabo semen tuum, et non numerabitur p[re]a multitudine... Concepisti, et paries filium, vocabisque nomen eius Ismael... Hic erit ferus homo, manus eius contra omnes, et manus omnium contra eum, et e regione universorum fratrum suorum figet tabernacula»?³ Ismael autem potentissimus sagittarius factus est, deditque ei mater Agar uxorem Aegyptiam. Apud scriptores est hunc duodecim habuisse ex coniuge filios, ex quibus duodecim tribus Arabum gloriantur prodiisse, quaeque adhuc supersunt. Hae autem Arabiae regionem integrum, quanta ab Hevila ad Sur porrigitur occuparunt, et habent nunc, latius fortasse, praeter eos, qui transmigrarunt, victricia contribulū suorum arma sequuti.

Ceterum Ismael, quoniam de ipso verba fecimus, una cum Isaac morienti Abrahamo patri suo adstitit, extulitque in cavernam Ephron paternum cadaver. Coram suis omnibus filii mortuus est centum ac triginta septem annos natus. Quum igitur Agar Aegyptia esset, et, quamvis in ser-

vitutem abstracta, non humilis conditione, cultu et origine, quandoquidem ad regii viri Abrahami thalamum Sara hanc ipsa deduxerit; quum et Aegyptia uxor Ismaelis pariter esset; quum magnum nomen Abrahami ubique illic haberetur, prout in sacris chartis cuique patet; quum denique Aegyptus eo tempore maxime floreret opibus, cultu, humanitate, divitiis, minime mirandum est si Ismaelis progenies, Aegyptiacis imbuta moribus, disciplinis, exemplis, talem se gesserit, qualem maternum populum et esse, et congregari, et coalescere circum videret. Hinc urbes exstructae, hinc aedificia, templia, monumenta, arces, artes, industriae et oppida illi fuerunt, qualia novum decebant populum, quem grandia fata in venturas vocabant aetates, grandia progenitoris nomina alebant, et ingenio valebat suo, et indole sagacissima utebatur in solo ubere, cui nihil a campis ad montes, ab irriguis agris ad squalentes arena solitudines, a sylvis et nemoribus ad patentia late prata deesse videbatur. Quae quidem omnia probat Arabum lingua, quae inter principes habenda est, tum quia millies centena hominum circiter millia (100.000.000) nunc illa utuntur, tum quia vocum quantitate, copia, suavitate fortasse parem non habeat.

Si enim Gesenio credamus, octoginta voces habet synonima, quibus mel enunciaret; ad exprimentum serpentem ducentis idem significantibus verbis utitur; quingenitis vocabulis leonem exprimit; camelum et gladium mille vocibus indicat, et quatuor vocabulorum millibus uti potest ad significandum animi taedium, aegritudinem, curam, infelicitatem.

Vel Mahomethis ante saeculum insigni litterarum cultu Arabes fruebantur; quod facile visu est, si *Moallakak*, si poëtarum Arabum historiam ab Almanqr exaratum percontemur. Qui plura noscere cupiat, hunc ad lexica Chalecan, Doreid et Makrizi delegamus; viginti post hos volumi-

nibus commentatam historiam et «anthologiam» arabicam legat; tum Farabium, tum Seraggeddinum, tum Kazvinium quaerat, et in hisce postremis apud Arabes Plinius et Humboldtios esse reperiet. Diodorus Siculus nobis auctor est, in historica sua bibliotheca, Arabes olim proprios habuisse reges, veluti principes et dynastas, qui singulis Lucumoniis, quasi Hetrusco more, imperitarent, communia vero Arabicae reipublicae negotia simul uno coetu diiudicarent. Erat igitur veluti regum foederatio et societas, qua publicas res, prouti Hebrei, prouti Italiae populi, simul una tuerentur.

Iob ille Hussita, igitur, de quo Moyses refert, «vir simplex, rectus ac timens Deum et recedens a malo», amici eius Eliphaz Themanites, Balaad Suchites, et Sophar Naamathites totidem habendi sunt reges, qui, in maximis, uti Iob, opibus constituti, sapientia non minus, quam domesticis rebus fruebantur secundis. Idque nobis grave testimonium est tum de cultu illo gentis, tum de humanitate, tum denique de traditionibus circa religionem et Deum, quae in Abrahami domo servatae, per Ismael et Agar in Arabum civitatem defluxerant.

Et quoniam in hisce sumus, non praetermittam Moysen, in Aegyptia regia a filia Pharaonis, nempe Sesostridis illius celeberrimi, educatum et quasi habitum fratre Menephtae regis, quo imperante fuit exodus Hebraeorum, pariterque fratrem habitum Ramessi Danai fratri Menephtae, qui magna cum multitudine tum Aegyptiorum rebellantium, tum Hebraeorum quot in Aegypto, cum Moyse non abeuntes, restiterant, ubi enim bonum ibi patria, tum denique Indorum obsidum, quos a primoribus populi Sesostris olim debellator astraxerat, in Graeciam se contulit, Pelasgos inde, Tyrrhenos nempe, depulsurus, ut sibi suisque faceret locum, non praetermittam, dico, Moysen uxorem sibi duxisse

Sephoram Iethri, summi sacerdotis, et fortasse, ut mos tunc erat, regis Madianitarum, filiam.

Triplex autem Arabia; immensa haec enim Asiae peninsula, quae Maris Rubri, Persici sinus, et Oceani Indi alluitur undis, trifariam dividitur, et nomine Petrea, Deserta, atque Felicis distinguitur. Prima ad meridiem Palaestinae est, et a Petra urbe principe nominatur, quam Idumaei meridiani et Amalectae incolebant: altera, quae inter Euphratem et montes Galaad, Ituraeos Orientales, Nabathaeos, Cedrenos et affines reliquos continebat; tertia, quae uberrima solo erat, apud primam et alteram et mare limites habebat, prorsus a Palaestinis divisa; et in hac Sabam reginam et reges tres, qui Magi in Evangelio appellantur, regna credimus obtinuisse.

Reges Arabum, teste Diodoro Siculo, multum saepe profuerunt copis et opibus proximis dissitisque regibus ac populis; interdum etiam graviora ab iis pertulere in fortunia, prouti Xenophon et Herodotus historiae mandarunt. Nam eos Aegyptii, et Persae, et nonnulli ex Asia reges bello vicerunt, quinimo et eadem in eos fortuna usus est Graecus ipse Alexander, cui tandem visa regio ita deliciosa, ita opportuna otio bellisque fuit, ut in ea de sede imperii collocanda secum agitaverit. Haec nobis tradidit Strabonis historia.

Verum, quidquid fuerit, quo tempore, Alexandro demortuo, duces, qui ad ipsum erant, inter se ad rapiendum imperium bellarent, Hierotimus Arabum rex potentissimus exstitit. Hircanus Iudeorum rex, quum Solymas oppugnaret, auxilia sibi ab Areta, Arabum rege, rogavit; quem tamen Scaurus, e ducibus Pompeianis unus, ab oppugnatione arcuit; et paulo post Aristobulus Aretam et Hircanum uno proelio fudit. Quum vero Scaurus interea ingressus esset Arabiam, Aretas idem, quingenta persolvens talenta, Romanum a regione dimovit, Antigono inter officia ponente.

³ Genesis, cap. XVI et XXI.

Abolauum, succedentem in regnum Aretae, Sileus occidit, ut loco eius ipse regnaret. Sed Herodes, qui dicitur magnus, quum bello adortus hunc esset belli causam interserens quod praedonibus publice auxiliaretur in Traconitide bacchantibus, Nacebum ducem Arabum ipsa in pugna interfecit, Silleum captum morti dedit, et, Caesare Octaviano Augusto iubente, Eneum, qui Aretas II appellatus fuit, in regno constituit.

Inde patet Arabes iam ex parte sub Romanorum potestate fuisse: at omnino Traiani tempore subacti Romanis legibus fuerunt et, Palma Syriæ praeside occupante regionem, Arabia, in provinciam Romani Imperii redacta, suis moribus, iuribusque valedixit, usa dehinc legibus et more Romano; quod, Eusebio narrante, scimus anno Christi centesimo tertio accidisse.

Saepe tamen Arabes insurrexere in Romanos; at Augusti Severus, Macrinus, Aurelianus oppressere rebelles, et regionem in officium pristinum revocarunt. Tales itaque fuerunt usque ad annum DCXXV post Christum, quo Mahometus novam religionem annuncians partim armis, partim suasione ad sua convertit, ac dum supremus in ipsis princeps et propheta dominatus est, huius nomine et omni manus longe lateque Arabes porreverunt, et maximam orbis terrarum partem fulmineo velut impetu sibi subegerunt.

D. L.

DE FONTIBUS IURIS ITALICI LINEAMENTA HISTORICA¹

Recenseamus hodie igitur singulos Italiæ Status ad percipiendum quo iure a restauratione, quae dicitur, ad unitatem uterentur.

In regno Sardiniae Victor Emmanuel I,

¹ Cfr. fasc. mens. Decembr. MCMXXXVII.

abrogatis gallicis, quae recens inducta fuerant, vetera iura plane restituit quod ad continentem terram; nam in Sardinia ius Napoleonicum nunquam viguit, ideoque leges insulae salvae semper fuere. Carolus Felix, successor, an. MDCCCXXVII collectionem legum renovatam pro Sardinia promulgavit; et Carolus Albertus, expetentibus omnibus, tandem an. MDCCCXXXI consilium creavit codicibus perficiendis, quorum primus, de iure privato, promulgatus est d. xx mens. Iunii MDCCCXXXVII; hunc sequitur codex poenarum (d. XXVI mens. Octobris MDCCCXXXIX), commercii (d. xxx mens. Decembbris MDCCXLII); de ritu procedendi in poenis statuendis (d. xx mens. Octobris MDCCXLVIII ut vigeret a Kal. Martii insequentis anni) ac deinde in rebus civilibus, duabus preelectionibus, altera an. MDCCCLIV, altera MDCCCLIX. Codex civilis res nova non exstitit; aliorum qui praecesserant apparebat quasi evolutio et perfectio; codicis autem Napoleonici non parum persentit et ostendit influxum.

In regno Langobardo-Veneto an. MDCCCXV « Codex generalis Austriacus », iam editus an. MDCCXI, qui procul a Neapoleonicu distat, uti vidimus, viguit.

In Ducatu Parmensi ad tempus servatus est Codex civilis Napoleonius, iis exceptis, quae de matrimonio ac divortio deque communione bonorum inter coniuges decernerent; an. MDCCCXX editus est « Codex legum civilium pro Statibus Parmae, Placentiae et Guastallae », qui non immerito habitus est omnium perfectissimus, atque insequenti anno codices de poenis.

In Ducatu Mutinae Franciscus IV ad vi-gorem revocavit leges Estenses, nonnihil emendatas; et anno MDCCCLII editi sunt codex civilis et de actionibus civilis, merito laudati, deinde (an. MDCCCLVI) codex poenarum.

In Magno Ducatu Etruriae Ferdinandus II statim animum applicuit codicibus apparandis; interea revocatae in vitam sunt

veteres leges, retentis ex Napoleonicis iure codice commercii, iisque quae hypothecas et probationes per testes tangerent; dati dein sunt a Leopoldo II « Motus proprii », quasi ad coniunctionem in unum praeformandam; an. MDCCCLIII promulgatus est codex poenarum; civilis vero nunquam.

In Statu Ecclesiae, edicto a « Commisario » Rivarola dato d. XIII mens. Maii MDCCCLXIV, omnia Napoleonica iura abrogata sunt revocataque omnia plane vetera. At Pius PP. VII emendationibus opportunis an. MDCCCLXVI manum apposuit et conlegia codicibus concinnandis constituit; ita insequenti anno editus est codex de ritu procedendi in rebus civilibus; ceteri vero nunquam edi potuerunt. Ad commercia restitutus est Napoleonius; ad tempus primum, deinde (an. MDCCCLXXV) perpetue. Gregorius autem XVI regulas edidit de legibus et iudiciis (*Regolamento legislativo e giudiziario*). Alias iussit Pius IX ad emendanda quaedam de iure privato.

In Regno Duarum Siciliarum Ferdinandus IV primus omnium conlegium creavit virorum codicibus novis parandis, an. MDCCCLXV; interea in Sicilia veteres insulae leges reliquit; in continentis terra tenuit codices Napoleonicos, suis tamen legibus emendatos; tandem data lege d. XXVI mens. Martii MDCCCLXIX primum in Italia codicem pro suo populo edidit, in quinque libros distributum, quorum I de iure privato, II de iure poenali, III de actionibus civilibus; IV de actionibus poenalibus, V de commerciis: Gallicos codices imitatur quidem, non tamen pedisseque; sequitur enim magis ius Romanum et iura locorum, atque, in iis quae religionem tangunt, ut in matrimonio atque in re ecclesiastica, ius canonicum.

Qui omnes codices et leges viguerunt usque ad an. MDCCCLXVI. Nam postquam in civilem unitatem sese Italia restituit, omnes necessitatem statim persensere unius reddenda etiam iuridicae vitae; cui nec

tanta codicem legumque congeries nec Albertini codicis ad universam peninsulam extensio satis consulere visum est. Itaque Pisanello minister coetus quinque constituit (Augustae Taurinorum, Mediolani, Florentiae, Neapoli, Panormi) ad novum digerendum codicem, cuius prospectum anno MDCCCLXIII Senatui exhibuit, qui emendationes suas adiecit, atque biennio post, die XXV mens. Iunii MDCCCLXV editus promulgatusque est « Codex Civilis regni Italici » ut vigeret a Kalendis Ianuariis MDCCCLXVI. Idem postea (an. MDCCCLXX) promulgatus est in provincia Romana; an. MDCCCLXXI in provinciis Mantuae et Venetiarum; denique, an. MCMXVIII recuperatis territoriis Venetiae Tridentinae et Iuliae.

Eodem tempore promulgatus est et viguit Commercii codex, qui veluti pars singularis codicis iuris privati habitus est: erat idem codex commerciorum Albertinus, Gallicum imitatus, deductusque ad universam Italianam. Non placuit, et tribus post annis emendandus commissus est iurisprudentium collegio, atque idem alter sufficiens est an. MDCCCLXXXIII, adhuc vigens.

Ad complenda autem vel emendanda quae in Codicem civilem irrepissent, atque ad succurrendum novis quotidie necessitatibus exsurgentibus, novae datae sunt eaeque bene multae leges.

Itaque novi conficiendi civilis codicis non modo, sed et poenalis tempus advenisse visum est; ad quod reapse intendit hodierna rei publicae administratio, per quam alter iam est absolutus, alter, nempe civilis, his diebus construitur.

SYLVIA ROMANI.

— Dulce etiam fugias, fieri quod amarum potest.

— Duplex fit bonitas simul ut accessit celeritas.

P. SYRUS.

PROPE SACELLUM IOANNIS PASCOLI

Carmen VINCENTII POLYDORI

in certamine poëtico hoeufftiano magna laude ornatum¹

Strix repetit nunc cana cavum, nunc noctua ri-
 [mam,
 gryllique sub terris latent.
 Iam nec eunt aurae nec inhorrens palpitat arbos,
 silentioque ros cadit,
 stellaeque invitox oculos, una, altera, plures
 iam condidere palpebris...

I. PASCOLI, Conticinium.

Tempus erat terrae donis quo laetus arator
 autumnum plaustris et sera legumina vectat
 pinguibus e clivis; impletur cupa racemis
 lignea, calcatis valido sub pondere praeli.

Otia conquirens lustrabam litus apricum,
 inclita quo floret studiorum Felsina mater
 ingeniisque viget, toto spectabilis aevo;
 quo decus, artis honor paeclara Faventia priscae
 vasa laborato condit fictilia lusu
 quoque Forum Livi memorat certamine pressum
 Hasdrubalem duro; divi quo resque Marini
 publica desurgens Titano prospicit alto
 hinc Adriae fluctus, laetos hinc ubere campos,
 undique vitiferas ulmos. Digressus ab oris
 Flaminiae, colles qui te, Florentia, cingunt
 arvaque perlustro felici culta Lyaeo
 quique nitent oleis, nativis floribus agros.
 Arnis ubi placidus ripas secundat amoenas,
 comis et effusis niveo candore Beatrix
 (occiduo solis rutilabant lumine colles)
 auspiciis faustis illuc vestigia flecto.

Hic datur hospitio, caelo gaudere salubri.
 Ast ego non urbes, veterum simulacula virorum,
 non ego concelebro munitas turribus arces,
 unde pavor tetricus convalles irruit imas.
 Hic, ubi Musa docet festivo ludere plectro
 ac faciles currunt studiis melioribus horae,
 irriguum canto properatis versibus amnem,
 qui longe resonans, vulgo Corsonna vocatur.²

¹ Cfr. ALMAE ROMAE fasc. mens. Augusti et Septembris MCMXXXVII, pag. 1.

² Non longe ab Arno, decurrit Sarculus amnis, qui curso superiore rigat agrum Lucensem: auctus pluviosis obstrepit subluens pedes collis, cuius in amoeno latere

Collibus egressus viridantes irrigat agros
 amnis, qui pluviis obstrepit auctus aquis.
 Aspicit in pratis tondentes gramina vaccas,
 grandia quae, circum, proxima rura stupent.
 Aspicit ambitam nemoroso palmite Bargam,³
 quae super inclini ridet amoena iugo.
 Aspicit oppidulum muris, simul aggere cin-
 tinnulus unde sonus, percitus aere, cadit;
 qui sonus, ipse fugax, actam denuntiat horam
 et procul emoriens infremtit atque gemit.
 Vates hoc monitum, turri quod labitur alta,
 audiit, extremas dum petit usque moras.
 Somnia fingebat pulchra sub imagine veri,
 somnia quae cordi mite levamen erant.
 «Nunc iuvat implacidas animo depellere curas,
 nunc mollem digitis sollicitare chelyn.
 Nunc iuvat eventus, rerum nunc discere cau-
 [sas,
 qua vaga percurrent sidera lege polum.
 Cum summis tacitae redeunt de montibus um-
 brae,
 quid flos reclinans somniet ipse caput.
 Quid referant aurae, prono quid flumina cursu,
 quo rapidum vitae denique tendat iter».«
 Haec secum meditans agitabat pectore vates,
 dum procul ingeminat flebilis hora sonum.
 O decus eximium, magnis virtutibus auctum,
 progenies silvis edita Pierii,
 quem nitidae dulces venientem lucis in oras
 exceptit tenero Calliopea sinu,
 cui, capiti imposta lauri de fronde corona,
 mellea Castallii ora rigantur aquis,

enitet, velut gemma, Castellum Vetus. In Sarculum,
 post brevem saxosumque cursum, Corsonna, humilis
 amniculus, influit.

³ Barga, oppidum vineis oleisque redimitum paulo
 eminentiore iugo desurgit; aspicit Castellum Vetus, a
 quo parum distat, supposita vallis Sarculo flumine
 irrigatur. Barga admodum cara tenero vati fuit. Vide
 blandulum carmen Pascoli cuius titulus: *L'ora di
 Barga*.

te celebrant populi, laudat paeclara iuventus:
 docti namque tuum nobile vatis opus.
 Te, quem blanditiis decuit miscere lepores,
 cui numeros aptos obtulit ipse Maro.
 Ut nitido caelo resplendet limpidus aer,
 veris ubi spirans aura tepentis olet,
 graminei rident diffuso lumine campi
 et croceum pingit daedala Flora solum:
 sic tua, quae nuper mirabar, candide vates,
 carmina de sacris sponte voluta iugis.
 Cum maestos animos luctus lacrimabilis urget,
 vulnera tu sarcis, unguine saeva linis.
 Flectis, cum loqueris, celsis de rupibus ornos;
 lenia, qua iubeat, vox tua cuncta trahit.
 Orpheus argutis fidibus sic saxa movebat,
 sic fretus cithara molluit ipse feras.

Eminet aero frondosus vertice collis,
 pabula qui paeabet niveis herbosa iuvencis.
 Est quoque praeruptis ingens sub rupibus an-
 [trum,
 cuius vestibulum patulis paeexitur alnis.
 Desilit e scopulo pellucens rivulus alto,
 florea qui defert raucum per prata sonorem.
 Silvestres coryli fragilesque ex arbore stirpes,
 consertis ramis, intricant undique callem;
 cernuntur veteres turres, hinc oppida longe
 auditurque fragor Corsonnae, quam cava subtus
 vallis agit per semesae declivia ripae.
 Hinc licet immensi ruris decernere tractus,
 hinc iter in celsam nemoroso tramite Bargam;
 quam sol purpureo devexus lumine vestit.
 Huc forsan vates, nimis ardoribus actus,
 venerit, exsolvens properatum carmen ad auras.

Avii cultrix nemoris, poëtam
 voce quae donas memoremque reddis,
 grata quae totam facis ut pererrent
 gaudia mentem;
 dum tibi plaudunt hilares coloni,
 dum caprae tondent cytisos, opimis
 dum Ceres sertis tegitur rubentque
 collibus uvae,
 Musa, quae spernis faciles honores,
 quae colis blandas Heliconis umbras,
 hoc ades carmenque novum decoro
 exprime labro:
 non quod armatas agit cohortes,
 sed quod et frontem miseris serenet
 et levet curas penitusque maestas
 mulceat aures.

Vindicet nostros sibi iure versus,
 cui placent rivi viridesque ripae,
 corde qui nutrit dociles, fovente
 Numine, sensus.

Hic gerat nexam merito coronam
 seque iucundos paret ad triumphos.
 Fallor an vati bonus haec canenti

dictat Apollo?

Dulcis interpres animi, perenni
 quae doces cantu celebrare pacem,
 fac mihi curis liceat carentem
 degere vitam.

Conseram sacram tibi, Diva, laurum,
 alta quae nostro redolebit horto;
 ipse crescentem liquidis rigabo
 fluminis undis.

Hanc et immixtae pueris pueriae
 circum agent laetas pariter choreas,
 teque nectentes celebrent venustos
 vimine flores.

Te canant primum tenerae pueriae,
 quas decet sertis redimire crines;
 dein, tuas, lecti pueri sequentur,
 o Dea, laudes.

Adferam molles violas rosasque:
 Musa, si chordas digitis retemptem,
 ipse componam super invocato
 nomine carmen.

Haec quondam cecinit, vates haec vota resolvit.⁴

Desuper umbrifero exsurgit villula clivo,
 quae, dum montani consecutor fluminis undis,
 occiduum lucem geminato combibit arcu.

Ast in suppositum vigiles rus vergit ocellos
 Castellumque vetus spectat de culmine, valles.
 En via, floricomum villa quae dicit in hor-

[tum,
 castaneis nemorosa solo fruticantibus, arctos
 concisa in calles; folia altis deflua ramis
 en iter accumulant variis ambagibus auctum.
 Plurima quae riguo collucet margine bellis
 se viridi e ripa vitreis speculator in undis.
 Huc adiit vates; facile est agnoscere: flores
 undique paebet humus; sunt alba papavera;

[nigrae

⁴ Villula, de qua mentio fit in hoc tenui carmine,
 iacet in extremis finibus Tusciae, apud Lucam; empta
 est a Joanne Pascoli, auro antiquo Vergilii, videlicet
 nummis perceptis ex premiis aureis, quae ei, poëtae
 latino, tributa sunt in claro certamine hoeufftiano, in
 quo maximam victoriam pluries adeptus est.

sunt violae; densae texunt umbracula lauri.
Villula, quam cernis, septis circumdatur altis.⁵
Objecitos frustra nitaris pandere clathros:
allatrat rabido deterrens ore molossus.
Exiguī ruris custos, hic obvius ibat
dilecto domino; manibus palpatus amicis,
aures curvabat placidas. Nunc, vincula quas
[sans,
ringitur et rigidis peregrinos postibus arcit.
Non procul, extructum viridi sub fronde sa-
[cellum⁶
cernitur. Hic requies est, hic pax ultima vati.
Obducunt murum foliis nigrisque corymbis
errantes hederae. Lugubri veste poētae
huc soror accedit, vesper dum sidera dicit,
tinnula dumque diem deplorant aera cadentem.
En venit (arva silent, cohident et murmura
[frondes)
en portam reserat paulumque in limine substat...
Ingreditur reprimens imo sub pectore questus.
Tunc nomen resonat submissa voce: « Ioan-
nes! »

Spiritus auditur tenues volitare per auras:
« Adsum! » Pallentes violae ponuntur in urna,
quas soror ipsa manu culto decerpserat horto.
Tum pendens lychnus, solido caelatus in auro,⁷
guttis nutritur, Pallas quas donat agrestis.
Gliscit flamma, novo clarescit lumine splendor.

Munere functa pio, bustum germana relinquit,
dum niveo lino lacrimas abstergit obortas;
tramite dein nota servans vestigia flectit.
Interea pronae labuntur montibus umbrae
sparsaque declivi campo magalia fumant;
Hesperus effusis radiis pulcherrimus ardet,
palantes, fluitant, sicut velamina, nubes.

Hic quoties vates meditans tacitusque requirit
avia silvarum, secreta silentia solus!
Auribus excipiens lapidosi murmura fontis,
flebile vel carmen defert quod frondibus ales,
de tenui filo ducebat dulce poēma.
Saepius, ingressus teneros componere versus:

⁵ Poëta apud Bargam, in agro Lucensi, ubi humatum se voluit, villulam suam, duplici arcu ornatam, atque agellum possidebat.

⁶ Sepulchrum Ioannis Pascoli custoditur a Maria, dulci poëtae sorore, quae sola vivit in proxima villula arboribus circumdata opacis: ibi omnia religiose servat quae a dilecto fratre relicta sunt, saepeque gemit...

⁷ Lychnus, opus rari peritique artificis, est donum votivum ab itala praeclaraque iuventute oblatum.

« Denique » sermonem dictabat « denique par-
[vus]»
est puer in nobis, ludens qui carmina fingit,⁸
qui res alloquitur cunctaque mente petit;
gaudia qui lacrimis, risus qui fletibus addit.
qui, rogitanus causas, omnia scite cupit.
Sidera celsa puer volui comprehendere caeli,
flores et volui quos Dea veris habet.
Haec repetens animo lenit germana dolorem,
nam quae maesta videt, quae percipit aure: « Io-
annes! »
una voce sonant; iterant vel pascua nomen.
Nox ruit; in ramis volucres, in frondibus aurae,
vallibus in riguis piscosaque stagna quiescent;
perspicuoque putes rutilas in gurgite stellas
esse quiescentis nitidissima somnia lymphae.
Ignea dum curvo flammescunt sidera caelo,
consensus nemorum fratrem celebrare videtur.

Te, vates, memorant bonum
rupes aëriae, te liquidi lacus
frondosaeque procul nigris
argutae memorant saltibus ilices.
Te valles, quibus incliti
non fasces, nitido marmore splendidiae
non aulae, rapiens amor
non tintae tyro murice purpurae
vellerunt. Riguas aquae
optasti scatebras, gramineos agros;
ramis sub patulis dies
densae castaneae condere nescios
curarum. Sedet hic, latens
muscosis latebris, pabula floribus
colludent ubi, fons ubi
saxis desiliens levibus instrepit.
Musa intexta comas rosis;
dum lustrat fluvios Naiadum chorus
plaudens in numerum; vagis
dum pellunt zephyri flatibus arbutos.

Plaudunt montanae referentes muneranym-
[phae],
rupibus aëriis plaudit resonabilis echo.
Vos nunc, ruricolae, certatim promite cantus,
dicite Pierio laudis paeonia vati.
Sed tu, quam procul a populis urbisque tumultu
detinet umbroso circumdata villula luco,
villula, qua patulis est nusquam tutior agris

⁸ Vide poëtae commentationem illam omni numero
elegantem et veram, quae Il fanciullino inscribitur.

immemoremque facit fraternali cura sepulchri.
desine nunc paulum maesto indulgere dolori.
Grande tui superest luctus solamen acerbi.
Musarum comites, natos felicibus astris,
advocat aonius Vates, cui semper ab ore
roscida mella fluunt miroque poēmata cantu
manant, cui blandis insidit Suada labellis,
cui decus omne suum cedit stupefacta vetustas.
Carmina perpetuo sunt et monumenta poētae,
qualia nec castae peplis intexta Minervae⁹
solemni, veteres, lustro explicuistis, Athenae,
tincta rubro quoties animantur paelia coco,
vel pinguntur acu subtili gesta virorum.

Permanet aeternum et seros excurrit in annos
vatis opus. Caelo dum lux orietur ab alto,
dum mores discent cultae mollire Camenae
verbaque dum faciles animis mellita loquentur,
semper inexhaustis ibunt pia carmina venis,
semper ab his iuvenes deducunt fontibus hau-
[stus,
semper erit magni decus immortale Ioannis.

DE LATINI SERMONIS NOTIS SINGULARIBUS¹

De gerundio et gerundivo

a) Gerundium est substantivum verbale
declinabile.

EXEMPLA: Sapientia ars vivendi putanda
est (CIC., Fin., I, 13) — Equum non cre-
bris vulneribus exterret domandi peritus
magister (SEN., Clem., I, 16) — Mala et
impia consuetudo est contra Deum disputandi (CIC., Nat. deor., 2, 67) — Dum-
norix Aeduus, insuetus navigandi, mare ti-
mebat (CAES., Bel. gal., V, 6) — Titus
equitandi peritissimus erat (SUET., Tit., 3)
— Miles Romanus armis gravis est et nandi
pavidus (TAC., Hist., V, 14) — Scite ait
Chrysippus omnia aliorum causa esse ge-
nerata, ut fruges atque fructus animantium

⁹ Peplum erat vestis ex lana confecta, in qua auro
purpureaque Minervae gesta vel clarorum civium facta
acu pingebantur et sexto quoque anno, Panathenaeis,
Divae a matribus atheniensibus offerebatur.

¹ Cfr. fasc. sup. mens. Decembr. MCMXXXVII.

causa; animantes autem, hominum; vt
equum, vehendi causa; arandi, bovem; ve-
nandi et custodiendi, canem (CIC., Nat.
deor., 2, 14) — Charta emporetica est
inutilis scribendo (PLIN., XIII, 12) — Est
utilis aqua bituminata aut nitrosa bibendo
(PLIN., 31-32) — Semina limus habet vi-
rides generantia ranas, et generat truncas
pedibus; mox apta natando crura dat (Ov.,
Met., 15, 376) — In culice telum fodiendo
acuminatum pariter et sorbendo fistulosum
est (PLIN., XI, 2) — Civitates non sunt
solvendo (CIC., Fam., III, 8) — Non so-
lum ad discendum propensi sumus, verum
etiam ad docendum (CIC., Fin., 3, 20) —
Pisidas ad dimicandum manum habebat
expeditam (CORN. NEP., 14, 6) — Ad
arandum bos, ad indagandum canis natus
est (CIC., Fin., 3, 20) — Plorando fessus
sum (CIC., Att., XV, 9) — Generis hu-
mani vinculum est ratio et oratio, quae
docendo, discendo, communicando, disce-
ptando, iudicando, conciliat inter se homi-
nes, coniungitque naturali quadam socie-
tate (CIC., Off., I, 16) — Sal corpora a
putrescendo vindicat (PLIN., XXXI, 9) —
Scribendi ratio coniuncta cum loquendo est
(QUINT., I, 5) — Lex est recta ratio in
iubendo et vetando (CIC., Leg., 1, 12) —
Plures reperias et faciles in excogitando et
ad discendum promptos (QUINT., I, 1) —
Nutrices primum audierunt puer, harum verbo
effingere imitando conabitus (QUINT., I, 1)
— Accidit mihi, homini cupido satisfa-
ciendi reipublicae, ut consilium sequerer
periculorum magis quam tutum (CIC.,
Fam., X, 18).

b) Gerundium in *di*, quum accusativo
instruitur, diversimode construitur. In par-
ticípio in *dus* mutari potest, at non debet.

EXEMPLA: Ut apum examina non fin-
gendorum favorum causa congregantur,
sed, quum congregabiles natura sint, fin-
gunt favos; sic homines, natura congre-
gati, adhibent agendi cogitandique soler-
tiam (CIC., Off., I, 44) — Philophaemenem

pudor *relinquendi equites* tenuit (TIT. LIV., XXXIX, 49) — Parsimonia est scientia *vitandi sumptus supervacuos* aut ars re familiari moderate utendi (SEN., Ben., 2, 34) — Regina *sui conservandi* causa urbe exiit (TIT. LIV.) — Venerunt purgandi *sui causa* (CAES.) — Nulla iusta causa cuiquam esse potest contra patriam *arma capiendi* (CIC.) — Efferor studio patres vestros, quos colui et dilexi, videndi (CIC.) — Germanis neque *consilii habendi* neque *arma capiendi* spatium datum est (CAES.) — Magnam ingenuit animantibus *conservandi sui natura custodiam* (CIC.) — Sum cupidus *te audiendi* (CIC., De Or., II, 4) — *Ulciscendae iniuriae* facilior ratio est quam *beneficii remunerandi* (CIC.) — Annibal opinionem de se auxit conatu tam audaci *traicendi* spatiū Alpium et effectu (TIT. LIV., XXI, 39) — Divitiacus *auxiliī petendi* causa profectus erat (CAES., Bel. gal., VI, 12) — *Pacis* inter cives *conciliandae* esto cupidus (CIC., Fam., X, 27) — Sum cupidus *te audiendi* (CIC., De Or., II, 4) — Neuter *sui protegendi corporis* memor erat (TIT. LIV.) — Consilium cepit *belli renovandi* *legionisque opprimendae* (CAES.) — Ne amittamus *negotii* bene *gerendi* occasionem (CAES.) — Agitur utrum Antonio facultas detur *opprimendae reipublicae, caedis faciendae* bonorum, *diripiendae urbis, populum Romanum servitute opprimendi* (CIC.).

c) Dativus gerundii, sequente accusativo, plerumque in participium in *dus* mutatur.

EXEMPLA: Consul placandas Romae *diis habendoque delectui* dat operam (TIT. LIV.) — Ego, relictis rebus, *Epidicum quaerendo* operam dabo (PLAUT., Epid., IV, 2) — Annibal *equites quoque tegendo* satis latebrosum locum oculis perlustravit (TIT. LIV., XXI, 54) — Quarumdam avium dīgi non sunt accommodati *complectendis transferendisque ovis* (PLIN., X, 50) — Neque mihi licet, neque est integrum ut

meum laborem hominum *periculis sublevandis* non impertiam (CIC., Mur., 8) — Germanicus paucos dies insumpsit *reficienda classi* (TAC., Ann., II, 53) — Dummodo *perpetiendo labori* sit idoneus! (COLUM., 1, 9) — Intericto spatio quod *vulneribus curandis supplendoque exercitui* satis esset (TIT. LIV., II, 17) — Claudius Gallieno successit, parcus vir, modestus et iusti tenax, atque *reipublicae gerendae* idoneus (EUTR.) — Galli transalpini, haud procul inde ubi nunc Aquileia est, locum *oppido condendo* ceperunt (TIT. LIV.) — Valerius consul comitia *collegae subrogando* habuit (TIT. LIV.) — Mons *pecori bonus alendo* (TIT. LIV.) — *Omnibus hibernis Caesaris oppugnandis* hic est dictus dies (CAES.) — Bruti liberi studebant *revocandis* in Urbem *regibus* (FLOR.) — Ver ostendit fructus futuros; reliqua tempora *demetendis fructibus et percipiendis* accommodata sunt (CIC.) — Rex, intentus *perficiendo templo*, non pecunia solum ad id publica usus est, sed operis etiam ex plebe (TIT. LIV.) — Caesar inter spectandum *epistolis libellisque legendis ac rescribendis* vacabat.

d) Gerundium in *dum*, sequente accusativo, mutatur in participium in *dus*.

EXEMPLA: Non occasio, non imperium ad *faciendam iniuriam* Flacci animum impulerunt (CIC.) — Tuumque simul promptum animum et alacrem perspexi *ad defendendam rempublicam* (CIC., Fam., III, 11) — Animum hominis sensibus ornavit natura *ad res percipiendas* idoneis (CIC., Fin., 5, 21) — E terrae cavernis ferrum elicimus, rem *ad colendos agros necessariam* (CIC.) — Aves quaedam *ad imitandum* humanae vocis sonum dociles sunt (QUIN. CURT.) — Ad pingendum, ad fingendum, ad scalpendum, ad nervorum eliciendos sonos ac tibiarum apta manus est admotione digitorum (CIC.) — Oppidum magnam *ad ducendum bellum* dabat facultatem (CAES.) — Flagitosum est ob

rem iudicandam pecuniam accipere (CIC.) — Venisti e Gallia *ad quaesturam petendam* (CIC.) — Cives romanos eius provinciae sibi *ad rempublicam administrandam* argenti pondo XX millia, tritici modios CXX millia polliceri coegit (CAES.) — Palpebrae aptissimae sunt et *ad claudendas pupillas et ad aperiendas* (CIC.) — Pythagoras Babyloniam *ad perdiscendos siderum motus* profectus est; inde Cretam et Lacedaemona *ad cognoscendas Minois et Lycurgi inclitas ea tempestate leges contendit* (IUST.) — Utilitatis magnitudo debet homines *ad suscipiendum discendi laborem impellere* (CIC.) — Natura hominis *ad omnem virtutem percipiendam* facta videatur — Me ad totam philosophiam pertractandam dederam. I. JSS.
(Ad proximum numerum).

VETERA ET NOVA

De ephemericibus

HYACINTHUS P. ANTONIO amico carissimo
s. p. d.

Percontaris quo latino nomine appellandae sint ephemeredes, et quae iuxta? Dicam, teque non mediocriter admiratione percellam affirmans, probansque falso proxima, quae fuerunt saecula, gloriari circa ephemeredes, quasi rem novam gentibus induxissent. Duo circiter annorum ante nos millia ista viderunt non modo, sed et sua cuique res erat; erant autem amanuenses, qui vel servili, vel conducticia dextera paginas describabant mitendas ab Urbe in provincias. Attende. Caecilius Rufus, equestris ordinis vir, notitiarias epistolae ad Ciceronem, procunsulatum in Cilicia gerentem, mittebat: notitias autem fatetur se accipere a quotidianiis « *rerum urbanarum Commentariis* ». At quid in his Commentariis? Erant Senatus-consulta, erant edicta nova, lataeque

leges; erant iudicū sententiae; erant responsa prudentum; erant oratorum perorationes in foro; erant denique « fabulae et rumores », quasi eadem, quae nunc sunt apud nos « *chronica* ». Insuper, Iulio Caesare dictatore, commentariorum huiusmodi magnus numerus fuit, atque hi distinguebantur nominibus. Tene haec: *Diurna populi Romani* — *Diurna Urbis acta* — *Diurna actorum scriptura* — *Acta diurna* — *Diurna* — *Diurni rerum Urbanarum commentarii* — *Acta urbana* — *Acta rerum Urbanarum* — *Urbis Acta* — *Publica Acta* — *Acta*. Vides igitur nomina, vides appellationes; videbis ergo, aut saltem coniectabis ex nominibus, quid in hisce contineretur; nempe quid iudicatum esset capitale in foro, quae supplicia sonetes pertulissent, quae fuissent lites actae, qui ex patriciis nova progenie laetarentur, quae nuptiae, quae funera, sacrificia solemniora, vota publice soluta, rumores de bello quod gerebatur, praeliorum casus vicesque, incendia, inundationes, viriliter patrata; denique quidquid agerent homines; idque ita probatum est, ut ipse Suetonius dicat se in *Actis* reperisse natalem Tiberii diem, reperisse locum, ubi Caligula natus erat. Itaque concludes non modo haec *Acta*, haec *Diurna*, haec *Diaria*, et, si placeat, haec « *Quotidiana* » haberi, sed et servari apud ditissimorum bibliothecas patriciorum, servari in archivis tum privatis, tum publicis. Idque micabit vehementius, si Taciti illius historici auctoritatem induixeris; hic enim pluries ait se quaesivisse *Acta* huiusmodi, unde quotidianas noticias temporis, de quo loquebatur, hauriret. Scimus et. fuisse sacerdotum collegia, qui quotidiana notatu digniora referrent in scriptis.

Circa stilum autem diurnorum horum credo fidem habendam esse indoli Romanae, minime verbosae, fidemque habendam Petronio Arbitro, lepide inducenti coram convivis « *Actuarium* » Trimalcionis,

legentem brevibus compressa verbis, quae illo die familiarem rem attingebant, scilicet quot nati ex ancillis essent servi, quot ex armentis capita divendita et quo pretio essent, quot frumenti modia, in quos animadversum fuissent suppicio servi; idque fatetur compositum « tamquam Urbis Acta ». Et quoniam eo tempore eadem cupiditates quae nunc, negotia plus minusve eadem quae nunc agebant homines, quibus et cura camporum et pecuniae sollicitudo cordi erat, non video causam, qua cum Actis illis etiam reliqua, quae nunc sunt, adiungere non debeamus. Erant itaque *Acta militaria*, *Acta bellica*, *Acta mercaturae*, *Acta ad pecuniam*, *ad frumenta*, et similia. Quid si essent Diurna ac Diaria pro nobilibus feminis, et pro iis, quae pulchritudinis, quae scientiae, aut alia quavis fama pollebant, sive litteris, sive musica, sive ingenuis quibuslibet artibus exercerentur atque inclarescerent?

Fuerint necne, ephemерidum scriptores dico brevi vocari posse *diurnistas*, *diurnarios*, *actuarios* et similibus vocabulis.

Vale.

ANNALES

Italicae res

Maximus Decembbris mensis civilis evenus in Italia factus est, quae sollemniter declaravit recessionem suam a Nationum Societate; id vero — professus est Mussolinius — Italici regni proposita nihil immutabit; labores scilicet cum quavis natione ad veram pacem grassante conferendi.

Reapse alia quae per eundem mensem acta sunt ad hunc finem manifeste spectrunt: et adventus in Urbem Milani Stojadinovich, administratorum concilii Praesidis in Jugoslavia, qui amicitiam cum Italia sollemniter confirmavit; et pactio cum Bulga-

ris ad clausulas foederis commerciorum initi an. MCMXXXIV apud Italicas colonias exterisque possessiones diducendas; novus denique foedus cum Siamensi regno ictum.

Nova Hiberniae constitutio

Dum Italia a Nationum Societate recedit, Hibernia ab Angliae tutela omnino se eximit, quae vel post edictum an. MCMXXII statum Hiberniae liberum, tamen re permanerat. Nova sibi data constitutione, Hibernicus populus plane sui iuris et ab Anglia omnino solutum se renuntiat; De Valera, cuius exquisita arte res facta est, Primus civitatis administer eligitur, Hibernico titulo *Taoiseach*, qui latine *Dux* est.

Hispanicum bellum civile

Hispanicum bellum civile circa urbem Teruel nunc maxime agitatur, a Communistarum exercitu obsessam et ab incolis viriliter defensam.

Interim nunciatur et Uruguajana Respublica Nationalistarum gubernium recognovisse una cum Italia, Germania, Anglia, Helvetia, Lusitania, Jugoslavia, Albania, Japonia, Manciukuo, Bolivia, Honduras, Sancto Salvatore, Guatemala, Nicaragua, Venezuela.

Sinense cum Japoniis discrimen

Non minori vi profecto arma in Sinenses perferuntur a Japoniis, qui obsidione cinctam Nanchino, urbem caput, brevi expugnant, coguntque administratorum ut fuga se Hankau recipient. Hinc duo nova gubernia libera exsurgunt: in septentrionalibus Sinis alterum, alterum Sciangai; Nanchini autem Japonii gubernium pro tempore constituunt et Pechinum urbem Sinarum caput iterum promulgant. Occupata deinde urbe Hang-Chow, provinciae Tien-Tsiang capite, Canton versus procedunt.

Ex Russia

In Russia *Ghepeu*, et terribili illo reipublicae instituto, quod *Ceka* successerat, abrogato, alterum suffectum est *Gugobe* nomine; hoc est « Administratio centralis ad reipublicae securitatem », quod quidem non minus quam quae praecesserunt operam suam in sanguine statim admovere non dubitavit.

POPLICOLA.

VARIA

Utrum libertatis custodia optimatibus an populo tutius committatur.¹

Qui Rempublicam prudenter constituerunt, id inter cetera maxime curandum sibi existimarunt, ut libertatis fundamentum quoddam ab initio ponerent: quod quidem eam tanto melius diutiusque conservare solet, quanto firmius fuerit. Quoniam vero ex Optimatibus atque Plebeis hominibus constare solent Republicae, quae situm est non immerito, utrum his an vero illis hominibus tutius hoc libertatis fundamentum custodiendum committatur. Et apud Lacedaemonios quidem olim, nostra vero aetate etiam apud Venetos cernimus, id Patriciis esse demandatum; Romanos autem scimus econtra plebem custodienda libertati praefecisse; itaque nobis quaerendum erit, utri prudentius fecerint. Quod si argumenta igitur expendamus, quibus moti utrinque tales libertatis custodes deligendos censuerint, non deerunt in utramque partem rationes. Sed eventus ipsos si intueamur, Magnates ad hoc magis idoneos esse existimabimus, quoniam diutius libertas in Venetorum et Lacedaemoniorum, quam in Romanorum republica perduravit.

¹ Ex NICOLAI MACHIAVELLI opere: *De republica disputationes ex prima decade T. Livii latine vertit H. BINDI.*

At Romanorum quoque consilium interim hisce argumentis probare possumus: quoniam una quaeque res ei quam tutissime custodienda tradatur, qui eam sibi usurpare minime cogitet. Cernimus autem in plebeis hominibus hanc unam esse cupiditatem, ne servitute opprimantur: imperium sibi usurpare non cogitant, quia id fieri non posse facile intelligunt. In praepotentibus magnum est dominandi desiderium, maiorque spes imperii consequendi quam in plebe. Ex quo sequitur tutius plebem quam Magnates custodienda libertati praefici posse, quae neque eam opprimere cogitat, neque, si cogitaret illam invadere posset; quum Magnatibus econtra magna insit cupiditas dominandi, neque exigua consequendi imperii spes.

Piscator

Piscator quidam demissis in mare retribus, extulit pisciculum pusilli corporis, qui piscatorem obsecrabat, ne se tam pusillum et minutum carperet, sed abire et crescere permetteret, posthac grandiusculo potitum. Cui piscator: « Ego vero amens sim, si lucrum quod inter manus habeo, licet exiguum, dimittam spe futuri boni, quantumlibet magni ».

Fabula innuit stolidum esse qui, propter spem maiorem, rem praesentem et certam, licet parvam, non amplectitur.

Pro iudicibus mensarum elegantibus

ESCARUM ORDO:

Iuris diluti poculum.

Pasta vermiculata lycopersico, Neapolitanorum more, condita.

Obsonia varia fricta.

Capreolus veru super igne circumactus, cum acetariis.

Libum mellitum.

locosa

TUCCUS cauponam ingreditur, sedet atque interrogat :

— Quanti venit carnis elixae portio?
CAUPO: — Libella una cum dimidio.
 — Embamma autem?...
 — Gratuito suppeditatur.
 — Age, affer embammatis ferculum:
 panem iam habeo mecum.

Magister TUCCIO:
 — Si pater tuus tribus nummis te donaverit, quinque a me additi fuerint, quot possidebis nummos?
 — Decem.
 — Ehm!
 — Duos enim iam possideo.

Aenigmata

I

Anni me curvant et turpat plurima ruga.
 Principium muta! Pondere terga gravo.

II

Donum sum, natae quod dat pater ante hymen.
 [naeum.]

Principium mutas? Floribus insideo.
 Mutatur rursus mihi princeps litera? Nostra
 durities cultros excusisse valet.

F. PALATA.

Aenigmata in fasciculo mens. Decembris MCMXXXVII proposita his respondent:
 1) Rector-Vector: 2) Gallus.

LIBRORUM RECENSIO

U. MANCUSO, *Roma e voi*. Praefatus est C. Formichi. (Mediolani, ex off. editrice Bompiani. Ven. lib. ital. 35).

Ex operibus ad hunc bis millesimum annum ab Augusti ortu celebrandum exaratis, quaeque adhuc in lucem edita sunt, principem sibi locum vindicare mihi videtur, quod nuper ab Humberto Mancuso diligentissime confectum typisque Valentini Bompiani impressum est, quodque *Roma e voi* italice inscribitur.

Peropportune quidem Auctor a ludis saecula-

ribus ab Augusto editis et a carmine saeculari, quod Horatius Augusti iussu composuit, profectus, librum conscripsit — omnium generum fontibus necnon inscriptionibus nuper inventis usus —, in quo et verborum elegantia et gravitas sententiarum cum ditissimis pulcherrimisque figuris certant.

Ipse autem tantam Horatii operum notitiam et usum callet, ut fere toto opere vim et leponrem eius expresserit.

Locorum autem et regionum et, ut ita dicam, insularum monumentorumque antiquae Urbis descriptio fidelis est et diligens, quamquam non hoc sibi Auctor proposuit; motus et vita ipsius orbis capitis ante oculos ponuntur eorum qui legunt, ut hi veluti magico quadam afflatu, tot annorum spatio sublato, ipsis saecularibus ludis una cum Augusto, Horatio, Livio totque aliis in Palatino monte adesse videantur.

His aliisque virtutibus pollens hoc opus omnibus, sed praesertim adolescentilis est accommodatum, qui humanis litteris operam impendunt, quibusque Vergilii, Horatii ceterorumque auctorum lectionem vividam praebet et illustrat; atque cum commentarium quoddam est Romanarum rerum quas discunt, tum ad effingendos eorum animos movendosque ad maiorum exempla imitanda facile praecipuum.

Quo quidem opere tanquam optimo duce ac magistro uti possunt invisuri Romanorum monumenta, quae in Augusti honorem ipsius Fascium Ducis iussu in unum collecta atque exposta sunt.

Nostris autem temporibus quibus, post renovatos Fasces imperiumque reparatum, totis viribus enitimus, ut italicici adolescentuli Romanorum et doctrina et virtute imbuantur, nemo est qui non videat quantae utilitati hic liber omnibus et doctoribus et discipulis sit futurus, praesertim quum Auctor pluribus locis ostendat novam Italorum vivendi rationem non e Fascibus tantum nomen, sed ex ipsis Romanorum moribus rem esse mutuatam.

B. F.

IMPRIMATUR:

, Fr. ALFONSUS C. DE ROMANIS Ep. Porphyreon..
 Vic. Gen. Civitatis Vaticanae.

Dr. JOSEPHUS FORNARI, Moderator, Sponsor.

TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS

REGULUS

[22]

ACTIO DRAMATICA HENRICI IOSEPHI COLLIN

(In Latinum convertit VALENTINUS FEHÉR).

SCENA IV

METELLUS, CAEPIO.

ME. Cura sis, ut lictor aliquis cursim currat ad fluvium,
 Parata navis sit Bodostoris. — CAE. Ne mi succenseas,

At hercle tristi animo iussum istoc exsequor.

ME. Amice, num mihi rem commodam esse existumas,
 Qui istuc iubeam? — CAE. Volt te paucis Valerius.

SCENA V

METELLUS, VALERIUS.

ME. Hei cur non invocatus intro venisti statim?
 Amicos inter nullust locus tali consuetudini.

VA. Amicus ad te venio, sed itane sim abiturus, nescio.

ME. Amicitiae, quibus ad te coniunctus sum, vincula
 Sunt magno apud me pretio, haud facile illa solvi patiar.

VA. Amicumne meum nunc, an adloquor consulem?

ME. Nam quidem edepol nescio, quid tu desideras.

VA. De Regulo, de auctoritate patrum, de illius nece
 Doloribusque cogitans sum horrore strictus maxumo.

ME. Ego pol itidem. — VA. Tune etiam? Modo istuc quisquam creduat.
 Nam suasio tua illum vita privat, enicat.

ME. Istaec verba et amicum et consulem lacerant maxume.

VA. Olim, Metelle, nos consensimus aequaliter.

ME. Etiam nunc. — VA. Ergo nos adiuva sis, ut liberemus Regulum.

ME. Ut consulatum deposuero, Romanis iurabo civibus
 Me semper ipsorum saluti voluisse consulere;

Hercle tibi petenti satis facere non licet.

VA. Quid ita, Metelle? Num potes temet ipsum fallere?

An gloriae tuae metuis? Solus splendere vis?

Vir ille impensis modost inter nos maxumus.

ME. Ira ex te loquitur, istaec me pol non commovet.

VA. Egone, res utcunque sit, tacitus rem et frigidus

Istam contempler? Heu, quantum me despicias!

ME. Quid tu curas, qui de te quisquam censeat?

Qui turpiter modo praestagiosas laudes expetit.

VA. Tu cuncta verba detorques et in malam partem accipis.

ME. Marcellus aedilis, qui dudum a me discessit, nuntium

Mihi tulerat te omnis civis adire in publico